



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Brvnonis, Carthvsiensis Ordinis Eximij Patriarchæ: Ex ea, quam V. P. Laur. Surius ex RR. & Religiosis admodum Patribus Francisco de Puteo & Petro Blomeuene paraphrasticos conscripsit. Vita ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

*Canonicis
datur eius
monasteriū.*

atque in arca decenter conditum, reuerenter in ipsa Ecclesia collocatum: vbi protinus eximij miraculis Dominus sanctum suum glorificauit. Porrò monasterium illud multo post tempore cum à primo illo suo splendore plane defecisset, ab Episcopo Dioecesano Canonicis regularibus datum est: & ab illis Deo adiuuante in statum pristinum reuocatum.

Vide C. Baron. Notat. in Martyr. Roman.

VITA S. BRVNONIS, CARTHVSIENSIS Ordinis Eximij Patriarcha: Ex ea, quam V. P. Laur. Surius, ex RR. & Religiosis admodum Patribus Francisco de Puteo & Petro Blomienne paraphrasticos conscripsit. Vita sanctus est vir sanctissimus anno Domini 1101. Relatus verò in numerum Sanctorum à Leone 10. Romano Pontifice.

*6. Octob.
Patria &
parētes eius.*

*Optima illi
indoles.*

*Mittitur Lu-
tetiam stu-
diorū ergo.*

BEATISSIMVS Bruno, sacri Carthusiensis instituti primus auctor & architectus, in insigni Colonia Agrippina oriundus, parentes habuit, & genere & virtute claros: quibus tamen ille, atque aded toti familie suae maiorem vitam suae sanctimoniam attulit splendorem. Ab ipsis autem incunabilis, puer aetatem morum grauitate vincens, praclarū quoddam quasi futurae religionis de se praebat specimen: egregia indole, illustri ingenio, memoria tenaci, voluntate denique tota ad optima quaeque consecretanda studiosè propensus. Itaque adolefcens cunctis ferè naturae gratiaeque dotibus à Deo eximie ornatus, Lutetiam Parisiorū maximarum artium disciplinis erudiendus destinatur: vbi inter praestantes philosophos facile primas

primas tenens, magna cum laude magisterij titulo decoratus est. Indè ad sacræ Theologiæ studia se conferens, ingenij facilitate, ardore *Fit doctor* que proficiendi perpetuo, Theologorum do- *Theologia* ctissimus ac celeberrimus evasit: ecclesiastico *celeberrimus.* beneficio in Rhemensi ecclesia per id tempus honoratus.

Cùm igitur vir nobilis, & haud vulgari eruditione præditus Bruno, in huiusmodi studijs tota mente versaretur, essetque Lutetia & artium maximarum disciplinis, & candidatorum frequentia sanè florentissima: accidit ijs temporibus, Gregorij videlicet Septimi Romani Pontificis, & Henrici Imperatoris Tertij, anno humanæ salutis millesimo octogesimo plus minus secundo, spectaculû in ea vrbe horrendum & seculis omnibus memorandum: q̄ Carthusianæ vitæ instituendæ occasionem præbuit, Quidam enim Doctor, præ cæteris & eruditione, & eximia morum honestate conspicuus, in morbum incidit: ex quo, antè tamen omnibus, ritu Catholico, Ecclesiæ sacramentis munitus, vita functus est. Cumq̄ ei, recepta apud Christianos cõsuetudine, celebres pararentur exequiæ: funus, magna magistrorum, candidatorum, civiumque prosequente caterua, in templum, vbi sepulturæ mandandum erat, illatum est. Ibi verò, cùm sacerdotes, alijque sacris deputati ministerijs, solitum officium perageret, precesque, quas Vigiliis defunctorum vocant, recitarent: vbi ad eam lectionem ventum est; Responde mihi quâras habeo iniquitates? subito cædaver, elevato paululum capite, cunctis videntibus, & audientibus, & ad tantam rei

*Horrendum
spectaculum
Lutetia, de
prestantissimo
quodam
Doctore de-
functo.*

1.
Clamat idem
defunctus se
accusatum.

nouitatem haud immeritò stupentibus, alta & horrenda voce dixit; Iusto Dei iudicio accusatus sum: & his dictis rursus in feretro caput deposuit. Qui verò funeri intererant eius voce, & gestibus non mediocriter perterrefacti, consultò quidem & proindè, sepulturam eius in crastinum diem differendam decreuerunt: tam inuisitata rei exitum suspèsis animis prætolantes.

2.
Item se iudi-
catum.

Altera luce, cùm iam facti huius fama toto esset vrbe diffusa, innumera propè hominù vtriusque sexùs turba, ad eam confluit ecclesiam. Tum verò denuò repetitis exequijs, postquam supradictæ lectionis initiù recitari cepit, idè defunctus erecto capite, ingenti rursus voce clamat; Iusto Dei iudicio iudicatus sum: moxque in feretrum se reponit. Corripiuntur adtates omnes summa & incredibili admiratione: horrendumq; spectaculù stupore afficit vniuersos. Sed quia ea, quæ hætenus dixerat, apertam necdù habebant damnationis eius significationem; cunctis visum est, etiã in tertium diem protrahere sepulturam. Eo autè illucescente, tota ferè ciuitas, tam inusitati & terribilis Dei iudicij expectatione suspensa, eò certim confluit. Cumque eodem modo iterarentur exequiarum ritus, & ad lectionem, quam diximus, peruentum esset.

3.
Clamat de-
functus se
damnatum.

Tū rursū exanimus feretro caput extulit alto,
Atq; infelicem se contemplando, locutus;
Sic ait immenso luctu, grandiq; boatu:
Parcite funeribus, mihi nil prodesse valetis;
Hou infelicem cur me genuere parentes?

Ach

*Ach miser eternos vado damnatus ad ignes.
Inde q̄ conticuit semper, iacuitq̄, supinus.*

Ad eam vocem, quis est, qui non intimis sensibus exhorrescat? Penetrauit illa terribilis vox, Iusto Dei iudicio damnatus sum, ipsas ossium medullas omnium; videbanturque adstātes, omnes penē exanimēs, totis membris contremiscere. Quid enim? Si homo ille, nō modō diuinarum rerum sciētia ornatus, sed & opinione omnium sanctitatis laude prāditus, dānatum se iusto Dei iudicio clamabat. quid putandum est eos sibi proposuisse, qui nullis virtutū meritis instructi, aut grauioribus etiā delictis onerati, huic tam tremendo spectaculo intererant? Tandem ea omnium fuit sententia, vt doctor ille, ad eum vsque diem celeberrimus, & sempiterna memoria, vt putabatur, dignus, omni Ecclesia suffragio, & ecclesiastica quoque sepultura indignus censeretur: eiulq̄e cadauer in sterquilino sepeliretur.

In sterquilino sepelitur vir celeberrimus.

Verumenimuerō cum tam inauditum miraculum multis efficax esset incitamentum ad vitam animumque corrigendum, tum ipse quoque venerabilis Bruno, qui præsens suis oculis auribusque omnia dicta factaque hauserat, nimium formidando obstupefactus exemplo, totus in lachrymas resolutus, profundius secum diuini iudicij seueritatem, & incertū huius vitæ exitum perpendere cœpit. Territus ergo, & diuini iudicij compunctus aculeis, accersit ad se nonnullos ex sodalium suorum intimis: magistrum Laudunium; qui post eum primus fuit Carthusiæ præfectus; duos Stephanos, Burgen-

Permoretur S. Bruno eo spectaculo ad penitentiam.

sem & Diensem; ambos S. Ruffi Canonicos; Hugonem, solum inter omnes sacerdotio initiatum; & laicos duos, Andream & Guarinū: qui & ipsi huic spectaculo interfuerant; aitque lachrymabundus ad eos.

Oratio Brunonis ad Socios adhortatoria.

Qualis in viciis extiterit Doctor ille damnatus.

A Eternitas semper ob oculos ponenda.

Vidimus per hos dies fratres & amici mei, vnicè mihi in Christo chari; vidimus, inquam, admiranda planè atque stupenda; quæ tamen magnæ nobis vtilitati esse queunt, si ita, vt par est, defunsti huius, modis omnibus infelicitissimi, non periculum aut casus dubius, sed certissima damnatio, cautos nos & sollicitos faciat, ad placandum Dominum; cuius manum effugere omninò potest nemo. Sed quis obsecro tam letali sit somno vitiorum oppressus, vt infaustis deplorati hominis huius clamoribus, immò & tonitruis, ad curadam salutem suam non excitetur? Nouimus hunc virum multa sapientia præditum; moribus ornatum; castum, pudicum, prudètem: ab omnibus honoratum, & magno in precio habitum. At nunc ex ipsiusmet ore audiuius, iusto eum Dei iudicio sempiternis gehennæ flammis condemnatum. Quavoce, quid dici aut fingi terribilius possit? Quid est enim damnatum esse, quam in ea incidisse mala, quæ nulla mens capere, nulla lingua explicare potest? Et quidè si ea finem quandoque haberent, possent saltem vtcunque videri tolerabilia: iam verò cum sint longè acerbissima, & in omni seculorum æternitate duratura, non possunt non omnium esse miserissimi & infelicitissimi, qui ad ea deuoluuntur. Videamus nunc quæso, quid ei apud inferos tam multo parta labore scientia profuit, cum illic sem-

sempiterna laboret cæcitate & ignorãtia; quid opes & copiæ; cum nec vna ei suppetat aquæ gutta, qua possit æstuantis gehennæ ardoribus exultam refrigerare linguam: quid honores & deliciæ; cum tot nunc in omnem æternitatem cogatur ferre tormenta, quot in mundo habuit oblectamenta. Vidimus corpus eius summa cū ignominia in sterquilinio sepeliri: cogitemus animam eius sulphureis semper arsuram flammis, sepultam in inferno; vbi vermis eorū non morietur, nec ignis extinguetur: vbi ignis factus intolerabilis, foetor cruciata bominabilis, dolor vastat ineffabilis. Hæc serio, fratres mei charissimi, cogitantes & in intimos animi recessus cōdētes, nobis quæso prospiciamus, ne etiã cum illo misero nos quandoque misere pereamus. Amplectamur vnicum, quod superest, pœnitentię remedium, ad quam sacra nos scriptura instanter hortatur. Sint nobis lachrymæ nostræ panes die ac nocte, & ijs diluamus peccatorum nostrorū sordes: certi eas voces propter nos editas, quos adhuc diuina clementia longanimitè expectat. Non differamus quæso vitæ correctionem, de die in diem, cum nesciamus, qua hora Dominus noster vêturus sit. Qui enim, vt ait beatus Pontifex Gregorius pœnitenti veniam spondit, peccanti diem crastinum non promisit.

His verbis omnium animi ad pœnitentię rigorem inflammati sunt. Itaque Lauuino viro docto & pio, de modo & loco percunctanti, Bruno respondit: Spectaculum, quod vidimus, quod salubri nos mœrore affecit, quod conturbauit & exterruit nos, & pœnæ sempiternæ

Isaie 66.

Inferorum
horrenda
pœnæ.

psalm. 41.

Pœnitentiã
haud procrastinanda.

Matth. 24.

25.

gentis formidine ad poenitentiam adduxit, id
 efficiat in nobis, ut spreto mundo, extra eum,
 quoad eius fieri potest, aufugiamus. Succurrat
 nobis, quod de se olim dixit S. David contri-
 status in exercitatione sua & cōturbatus à vo-
 ce inimici, & à tribulatione peccatoris: quan-
 do cor eius intra ipsum conturbatum fuit, &
 formido mortis cecidit super eum; timor quo-
 que & tremor venerunt super eum, & conte-
 xerunt eum tenebrę, quę omnia, ut nostis, nos
 quoque experti sumus. Quis dabit mihi, inquit,
 pennas, sicut columbę, & volabo & requiescā?
 Ecce elogavi fugiens & māsī in solitudine. Fu-
 gere nos admonet hominū frequētiā & peccā-
 di occasiones, & degere in solitudine, quę loc-
 est agēdę poenitentię opportunus, virtutū do-
 ctrix, glorię reuelatrix. Eā ergo nos par est stu-
 diosissimē inquirere; in ea diligētissimē cōmo-
 rari; & virtutum operibus tota mēte insistere.
 Habemus exempla in ipso Salvatore, quę con-
 stat sæpē deserta expetiisse loca, ut nos ad simi-
 lia prouocaret. Ioānes Baptista, quo inter natos
 mulierum nemo surrexit maior, in deserto ad
 vsque diem ostensionis suę commoratus est.
 Longum sit, ceteros commemorare homines
 sanctissimos, qui, spreto mundi pompis, in in-
 timas sese solitudines abdiderunt.

• Inter hęc cū solitarię vitę desiderio vehe-
 menter incēsi, de loco cogitarēt, deq; viro bo-
 no & fideli inquirēdo tractarēt, qui locum op-
 portunū indicare posset, Stephani duo Burgē-
 sis & Diēsis, S. Brunoni Hugonē Episcopū Gra-
 tianopolitanum suggererūt; virū in omni vir-
 tutum genere probē exercitatum, & intima eis
 fami-

Psalm. 54.

*Fugienda
 peccandi oc-
 casiones.*

*Incomion
 solitudinis.*

Matth. 11.

Luc. 1.

familiaritate deuinctū: ac laudibus humanita-
tis & benignitatis egregiè ornatū. Cōfirmauit
protinūs Stephanorū sententiā Hugo sacerdos;
dixitq; sibi virū illū probè cognitū esse, anima-
rūque salutis summopere studiosum, obuijs,
quod aiūt, vlnis aduentū eorū excepturū. Quid
multis? Cuncti, pari animorū concordia atque
ardore in nouā Christi æterni Regis militiam
coniurantes, amicis & notis omnibus valere

*Conferunt se
Gratianopo-
lim ad Epif-
copam Ha-
gonem.
Consulunt e-
remitam in
itinere.*

Per idem autem tempus Hugo antistes vidit
secundum quietē, Deum in ea eremo, quæ Car-
chusia dicebatur, domū suæ maiestati exadifi-
cantē; septem quoq; rutilo colore stellas in or-
bem depositas & à terra paululum subleuatas,
ab illis cælestibus situ, motu, colore & splēdo-
re discrepantes, itineris ducatum sibi præstan-
tes. Cumque eam visionem mente cogitabun-
dus volueret, nunciatur ei septē viros stare præ-
foribus, qui eius colloquiū humiliter experāt.

*Visto S. Hu-
gonis Episco-
picium vitā
reperiet le-
for 1. April.*

Cōfestim benignè admissi; eiusque pedibus re-
uerēter prostrati, optata inprimis benedictio-
ne poriūtur. Cumque ab eo eleuati pariter cō-
sedissent, causamq; aduentūs Antistes diligen-
ter inquireret; Sanctus Bruno, quid Parisijs vi-
dissent, quid audijissent prudēter grauitēq; cō-
memorat; & quemadmodū ipsi inter se, de

*Excipiuntur
humaniter
ab Episcopo.*

VITA

vita solitaria complectenda sanctè conspira-
sent, exponit: locumque pœnitentiæ aptum ab
Episcopo postulat. At ille præ rei nouitate pri-
mùm obstupescit: sed tamen eorum cōuersio-
nem, animi cōstantiam, & ardui propositi plu-
ribus quandoque profuturi; & visioni suæ ac-
commodati magnam vtilitatem accuratè con-
templans, ingenti cum gaudio eos amplexa-
tur. Deindè visionis suæ seriem referens, locū
quem expeteret sibi iam diuinitus demonstra-
tum dicit.

*Hebr. 11.
S. Hugo e-
gregiè eos
hortatur ad
perseueran-
tiam.*

*Horridus
valdè locus
Carthusia.*

Luc. 9.

Genes. 19.

Veruntamen ad perseuerantiam eos vt hor-
taretur, proferens ex Apostolo locum illum
Sancti, quibus dignus non erat mundus, egen-
tes, angustiati, afflicti; circuièrunt in melioris
in pellibus caprinis; in solitudinibus errantes,
in mōtib; & spelūcis, & cauernis terræ: Ho-
rum, inquit, insistere vestigijs laudabile & val-
dè quidè salutare est; sed difficile certè, in his
præsertim regionibus frigidis: quæ nihil cum
Aegypto & Palestina commune habent. Vobis
autem locus diuinitus assignatus, est eremus
quædam in altissimis mōtib; quam Carthu-
siam vocant; ampla illa quidem, sed prorsus
inculta, solisque feris peruia; hominibus verò
& cæteris domesticis animantibus propter lo-
ci asperitatem pene incognita & inaccessa. Et
vt verbo concludam, tanta est eius eremi aspe-
ritas, & horror tantus, vt carceris cuiusdam po-
tius, quam humanæ habitationis nomen me-
reatur. Nōstis autem vos ipsi, fratres mei, quam
turpè & probrosum sit, post missam ad aratrum
manum, retrò respicere. Nōstis vxorem Lot,
vbi respexit, ibi constitisse, & in salis statuam
con-

conuersam esse: vt suo prudentes condiret exemplo.

Hæc & pleraque alia cum dixisset antistes, sanctus Bruno ita respondit. Posset quidem nos fateor, Reuerendissime Pater, locus ille sanè terribilis, facile à constàtia deterrere, nisi huc tali accessissemus animo, quo omnia, Christi amore, perferre parati sumus. Et quanquam infirmi fragilesque, tantis ferèdis laboribus impares videmur, diuina tamen freti misericordia, in sancto proposito, ad extremum vitæ spiritum constantiam speramus. Tum verò antistes illorum proposito ex animo gratulatus, eorum Carthusiæ eis donauit; paucisque post diebus, quibus fessà ex longo itinere membra curabant, novos eremi incolas ad Carthusiæ solitudinem deduxit. Annus tunc agebatur seculi istius millesimus octogesimus quartus; quo tempore: circa solennitatem S. Præcursori sacram, prima ecclesiæ (quæ dicitur ad beatam Mariam de Casalibus) & domiciliorum cellularumque iacta sunt fundamenta. In singulis earum bini fratres degebant; qui secundum priscos illos Aegyptij monachos, silentio, orationi, & rerum diuinarum contemplationi sedulò vacabant. Atque vt suæ & inopiæ consulerent, & laborantem Ecclesiam quisque pro viribus adiuuarent, operi manuum, conscribendis præcipuè libris, strenuè viriliterque incubebant: vt quandò verbum Dei ore non poterant, manibus saltem prædicarent.

Igitur post multas difficultates, easis, veriùs, quam cellis in ea solitudine extractis, cum omnes inter se incredibili charitate deui cti,

H
ange-

*S. Bruno re-
spondet Hu-
goni p. p. c.*

*Donatus
Carth. p. p. c.
Hugo.*

*Ecclesiast.
& cellulas
edificanti.*

*Piteorum
exercitia.*

*Encomium
S. Brunonis.*

angelicam in humanis corporibus exhiberent vitam, tū ipse Bruno, velut sol inter astra, inter alios vitæ sanctitate excellere videbatur. Sublimis enim & ardui instituti futurus architectus, singulari debuit cælestis gratiæ prærogativa eminere. Nihil attinet hic eximias sanctissimi viri laudes commemorare; cuius sanctitas licet in vasta solitudine & præruptis esset inclusa motibus, diu tamē occulta latere non poterat. Nam cum non totos sex annos in exigua illa quidem, sed sancta sodalitate exegisset, Pontifex Urbanus secundus, qui olim beati viri discipulus fuerat, cum ad illud sublime præcipui honoris fastigium euectus esset, cuperetque tantum munus accuratè implere, non immemor egregiæ virtutis & illustris doctrinæ eius sui præceptoris, acciuit eum per literas ad sanctæ Ecclesiæ præstanda officia; grauitèr præcipiens, ne venire ad Urbem cunctaretur.

*Euocatur à
Pontifice ad
Urbem S.
Bruno.*

Illo Pontificis mādato consternati sanè fratres, negabant se in vasta illa solitudine perdurare posse; si tanti patris præsentia orbarentur. Quorum lachrymis, incredibili mœstitia affectus Bruno, cum Pontificis mandatum finè manifesto rebellionis scelere reijcere non posset, conatus est quidē modis omnibus, & paterna quadā cōsolatione illorū lenire dolorem: sed persuadere non potuit, ut finè eo in vasta illa solitudine permanerent. Tu enim, dicebāt, venerande Pater, post Deū es spes nostra, tū refugiū nostrū, tu consolatio & consiliū nostrū. Te ergo recedete quid nos facturi sumus? aut te absente, ad quem recurremus? Quamobrem si
ad Pon-

Fratres nolunt finè illo manere in Carthusia.

ad Pontificem te trahit obedientia, tecum nos vnà trahet supereminens charitas, quæ est in Christo Iesu: quam separare & conuellere non poterit, neque mors, neque vlla creatura. Audiens hæc beatus Bruno, cernensque eos nullam admittere consolationem, nec persuadere se illis posse, vt in Carthusia manerent, ne locus ille iam Deo dicatus ad phanas laicasque rursus deuolueretur manus, cõmendauit eum tradiditque venerabili viro Signino Abbati Calæ Dei: qui vnus ex primis donatoribus tali eum recepit conditione, vt reuertenti cū suis S. Brunoni eum restitueret. Peractis igitur omnibus, perceptaq; beatissimi Hugonis Episcopi benedictione, urgente Pontificis mandato Romã profectus est. Patet hinc luce meridiana clariùs, quam eximia fuerit virtute præditus Bruno, à quo sic toti pendebant religiosi fratres, vt vitam ipsam prorsus insuauem & moleltam sibi putarent, si eius præsentia frustrari ipsos oporteret.

Vbi autem ad Urbem peruenit, Pontifex aduentu eius mirè exhilaratus, intimis eum protinùs sociauit cõsiliarijs, & fidelibus amicis: nõquã nõ eius in arduis Ecclesię negocijs vtēs cõsilijs. Fuere aut̃ eò fratres omnes diuino haud dubiè spiritu delati; sed incredibili sanè dolore postmodũ affecti, quòd Carthusię solitudinẽ reliquissent. In mentẽ enim eis veniebant non carnes, aut cucumeres & pepones, vt illis quõdã Israeliticis in deserto murmuratoribus, sed sãctæ meditationes, feruẽtes orationes, studiose lectiones, ceteræque spiritalis viri delicias quibus in Carthusiano deserto perfrui erant:

H 2

nec

*Proficiscitur**Romam S.**Bruno cum**frat.**A Pontifice**humaniter**excipitur.**Numer. 11.*

nec poterant erumpentes cohibere lacrymas, cum cernerent ex tam alta quiete & tranquillo silentio in molestissimos strepitus & varios rerum tumultus se coniectos. Itaque B. Bruno cum recedendi copiam à Pontifice necdum impetrare posset, obtentis ab eo ad Abbatem Signinum literis, ut Carthusiæ eremum restitueret, præfectoque cæteris suo loco in Priorem Lauduino, eos ad Carthusiam præmisit, mox, ubi per Pontificem liceret, alacriter sequitur.

*Carthusiani fratres, reli-
ctæ Urbe, redeunt ad
Carthusiam.*

Postquã autẽ duce Lauduino in Carthusiam venere, fuere quidẽ peramanter à Signino Abbate excepti, & in eremi istius possessionẽ constituti, crebrisque S. Brunonis literis in arduo vitæ proposito confirmati; sed paulò post anti-qui serpentis insidijs vehemẽter oppugnati ac penè circumuenti. Præsentiens enim iam tunc tortuosus ille coluber, quãta ad ipsum, ex illo prælaro sublimis & Angelicæ vitæ instituto, reditura essent damna, ac detrimẽta; immodicam illis fratribus pusillanimitatẽ & perplexitatem iniecit: adhibitis ad eam rem, tãquam aptissimis instrumentis, quorundam malignorum hominũ linguis, fraudulẽtis fallacibusque: qui novitatis eos insimulãtes, aiebant illos in mortis discrimẽ sese cõijcere. Et effectũ est fanẽ, ut optimi patres, animis fluctuare inciperet, quidnã factõ opus esset; tum propter susceptæ vitæ austeritatẽ, tum propter deserti illius horrore & vastitatem: in qua, illorum nequam hominum moti sermonibus, in vitæ periculũ se venturos etiam ipsi iam formidabant. Cõtrã autem non parũ verebantur, si indẽ recederet, se Deum,

*Mali homi-
nes eis mag-
nos iniiciunt
scrupulos.*

se Deum & stellas duces, quas sanctus antistes
 viderat, offensuros. Verum in tantis tenebris
 ac procellis nutantibus & in magnum pericu-
 lum adductis, peropportune diuinæ bonitatis
 mox adfuit consilium: quo diabolica fraude
 discussa, in susceptæ vitæ proposito planè con-
 firmati fuere. Cum enim die quodam hisce,
 de rebus anxie inter se colloquerentur; inter-
 uenit fortè vir quidam, vultu canitie, totoque *Celesti vi-*
 corporis habitu venerabilis; qui huiusmodi *sione confir-*
 verbis consilioque, absterfa ab animis caligine *mantur.*
 atque anxietate, eos confirmavit: Perplexi es-
 stis animis, fratres, vtrum hanc eremum inco-
 lere, vel ex ea recedere expediat. At ego, omni-
 potentis Dei verbis vobis annuncio sanctif-
 simam Dei genitricem perpetuò, suo patroci-
 nio, hoc in deserto vobis affuturã, si eius in ho-
 norem Horarias preces quotidie legere veli-
 tis. His dictis repente ab eorum oculis ablatus
 fenex, incredibili eos gaudio delibutos reli-
 quit. Fuit vna omnium opinio hominem illum
 Apostolorum principem extitisse, quòd eius *Preces hora-*
 successor Urbanus secundus in Concilio Cla- *rie beate*
 remontensi beatissimo matris Dei preces hora- *Virginis à*
 rias à toto Clero dicendas instituit. Igitur hac *quo institu-*
 visione in Domino mirifice confortati, statue- *re.*
 runt in ea solitudine sub protectione Virginis
 matris & Præcursoris Baptistæ ad extremum
 vitæ spiritum latitare.

Interea B. Bruno Curie strepitus & tumultus
 vehemèter pertæsus, totis votis ad tranquillū
 solitariæ vitæ portū aspirabat: obtinuitq; tan-
 dem multa precum instatia à Pontifice, ad suã
 recedèdi eremū; vel certè si sic visum esset, aliã

Recusat Archiepiscopatum Rheginensem S. Bruno.

Assumptis socijs aliquot, deserta Calabria expetit.

Ratio quare non repetitur Carthusiam.

Enseruens eius desiderium esse cum fratribus in Carthusia.

expetendi copiã & facultatẽ. Per id tẽpus, annuente eodẽ Pontifice, electus fuit vir sanctissimus, Rheginensis ecclesiã, quã est prima totius Calabriae metropolis, Archiepiscopus; multusque erat in eo Pontifex, vt eum in ea dignitate confirmaret: sed non ignorãs ille, quot periculis, quot curis & molestijs eiusmodi ecclesiasticã functiones obnoxie sint; noluit electioni præbere assensum, modestẽ humiliterque eam dignitatem deprecans. Tandem summa Pontificis voluntate, à Curia discedens, deserta Calabriae loca expetit, adiũctis sibi aliquot eiusdem propositi viris, quos iã vitã eius odor bonus, & feruentes exhortationes ad mundi cõtẽptũ adduxerãt. Didicerat. n. in Calabriae regione multas esse solitudines agẽdã pãnitentiã & vitã solitariã consecrandę aptissimas. Et quidẽ erat illi charior multò solitudo Carthusiã; sed quia Põtifex Maximus tũc tẽporis cum sua curia Gallias petebat, (in quarum finibus Carthusia sita est) verebatur, si ipse quoque eõ se conferret, ne aut Curiã declinare nõ posset, aut illam nõ relinquere, sed sectari videretur.

Igitur, quanquam incredibili fratres in Carthusia reuiscendi teneretur desiderio, visum tamẽ est potius Calabriam petere nihil interim mutata voluntate Carthusiam optatissimam repetendi, compositis sedatisque rebus; sicut & declarant literã quas ex Calabriae solitudine Fratribus in Carthusia degentibus scripsit; in quarum calce sic habet: De me (inquit) Fratres, scitote quoniam vnicum mihi post Deum desiderium est veniendi ad vos & vos videndi: & quando poterõ, opere adimplebo, Deo adiuvante.

uante. Inuenit autem in eadem Calabria quamdam eremum, cui nomen Turris, in diocesi Squillacensi; ubi raptim humiles ac nullius penè precij casas excitauit: in ijsque, cum nouis suis eremi militibus, tanta animorum suauitate & cælestis vitæ dulcedine, degit, quantâ ille ipse vir sanctus insigni eloquentia, in epistola ad Radulphum Rhemensis Ecclesiæ Præpositum, postea episcopum, pro dignitate satis prædicare non potest.

In ea autem Turrensi eremo vir sanctus ut primùm cum suis habitare cæpit, accidit die quodâ ut Rogerius Calabriae Comes, venationi deditus, ad eum locum, totius rei nescius perueniret. Cùm enim canes sagaciter ferarum explorarent vestigia, ad casas in quibus vir beatus commorabatur, accurrere; atque illic subsistentes, magno latratu optimam se reperisse prædam domino suo indicabant. Aduolat ocus cum suis Comes; offendensque patres, erectis in cælum vultibus manibusque in speluncis suis Deum laudantes, ingenti admiratione repletus, protinus ab equo desiliit: & data acceptaque peramanter mutua salutatione, causam aduentûs eorum conditionemque requirit. Cognitis autem omnibus, maiori gaudio exultans, Deumque glorificans, qui eum tali præda dignum iudicasset dedit eis ecclesiam S. Mariæ & beati Stephani de eremo, ut quietius illic diutiusque permanere possent. Persuadebat enim sibi, se terramque suam eorum meritis & precibus apud Deum, adiutum & in pace conseruatum iri. Neque sanè eum fefellit opinio. Nâ seius beati viri meritis.

H 4 preci-

*In deserto
Turrensi
degit.*

*Proditur la-
tratu canū.*

*Comes Cala-
bria dat eis
Ecclesiam B.
Marta.*

precibusq; Dominus à præsentissimo periculo
& struictis ei insidijs illum liberauit: quod ipse
Comes in Dei gloriam & ob diuulgandã ubiq;
Brunonis sanctitatem, literis suis posteritati
omni testatum reliquit in hæc verba.

*Littere Ro-
gerij ad
Brunonem
S. uic.*

Ego Rogerius diuina misericordia Comes
Calabriæ & Siciliae nota esse volo, cunctis
Christi fidelibus præclara beneficia meritis
precibusq; reuerendi fratris mei Brunonis, pi-
entissimi patris fratrum, qui habitant in eccle-
sijs S. Mariæ de eremo & S. Stephani protomar-
tyris, à Deo mihi concessa. Cum essem in ob-
sidione Capuæ Kalendis Martij, & præfecis-
sem Sergium natione Græcum, ducentis armi-
geris nationis suæ principem, exercitûsq;e
excubiarum magistrum: is idem Principis Ca-
puæ promissis, & ingenti auri argentiq;e vi, ad
prodicionis scelus inuitatus; ad inuadendũ me-
meumq;e exercitum, noctu ipsi Principi adi-
tum se præbiturum est pollicitus. Igitur ut
constituta prodicionis aduenit nox, Princeps
Capuæ, eiusq;e exercitus ad cædem extirpate
parati. Cumq;e me sopori dedissem interie-
cto aliquanto noctis spatio adstitit cubili meo
quidam reuerendi vultûs senex: qui scissis ve-
stibus, lachrymisq;e totus infusus, ploratum
reprimere nequibat. Cui cum in visu dicerem,
quæ causa ploratûs & lachrymarum esset; vi-
sus est mihi durius lachrymari: iteratò qua-
rèti mihi, quis esset ploratus, sic ait: Fleo Chri-
stianorum animas, teq;e cum illis simul de-
ploro; Exurge quamprimũ, lûme arma, si libe-
rare te Deus permiserit, tuorumq;e animas pug-
natorum. Hic mihi per omnia visus est venera-
bilis

P. sicet.

bilis Bruno. Expergefactus igitur cum terrore
 grandi, ilicò fumpfi arma: militesque pariter
 & arma conclamans, visionem, fi vera effet fa-
 tegi probari. Ad quem strepitum clangoremq;
 tubarum Sergius cum fequacibus fuis in fugam
 conuerfus, & centum fehexaginta duo, vulnera-
 ros inter & fanos, capti milites, veram fuiſſe
 visionem comprobârunt. Reuerfus itaque ſum
 Deo volente, vicesima nona menſis Iulij Squil-
 lacium occupata Capuæ ciuitate, in qua conti-
 nuos quindecim dies infirmitate detētus ſum.
 Venit verò ad nos venerabilis Bruno cum
 quatuor de fratribus ſuis, ſanctis ſuis deuotiſ-
 ſime colloquijs me conſolaturus: cui cum viſio-
 nem referrem & gratias, vt par erat, agerem,
 ille non ſe, ſed Angelum Dei, mihi adfuſſe hu-
 militer aſſeruit. Volui autem ea propter, mul-
 tis eū, rerum mearum, quæ in Squillacenſi ter-
 ra poſſideo, donis muneribusque afficere: ſed
 ille ſummus paupertatis amator, vt potè qui
 domum patris ſui, meamque dimiſiſſe ſe con-
 tendebat, quo liberius Deo diuinisque rebus
 vacaret, conſtanter quidquam admittere recu-
 ſabat. Tandem rogando obteſtandoque perui-
 ci, vt monaſterium S. Iacobi cum caſtro & res,
 aliaque bona cum ampliſſimis libertatibus ad-
 mitteret.]

*Migno mira-
 culo ſerua-
 tur.*

Et quidem ea Comitum liberalitate fretus
 vir ſanctus, condidit ibidem primò Eccleſiam
 in honorem matris Dei apud ſpecum quandã
 ſubterraneam, in qua ipſe morabatur. Deindè
 extruxit & alteram haud procul ab illa diſtan-
 tem S. Protomartyri Stephano dicatam, cum
 monaſterio illi coniuncto in quo ceteri fra-

*S. Bruno
 duas condidit
 Eccleſias.*

H 5 tres

tres sub cura & gubernatione tãti Patris Christo militabant. Cùm quibus vir sanctus ad supremum vsq; vitæ diem in ea viuendi ratione vitæque asperitate perseuerauit; quam antea in Carthusia & dictis factisque professus fuerat; interim etiã sollicitè curã eorũ gerens, qui ibidem sub Profecto Magistro Lauduino degebãt.

En vt se præparet ad mortem vir sanctus.

Felicitissimè decessit S. Bruno.

Fons ad eius sepulchrum, admirandis miraculis gloriosus.

Post hæc beatissimus pater lethali correptus morbo, cùm sibi vltimum diem instare sentiret, conuocatis fratribus suis, ab infantia singulas ætates suas replicauit; totiusque vitæ cursum, scientia & sententia dignum, proclamauit. Postea suam de Sanctissima Trinitate fidem, protracto profundoque sermone, professus, & sacramenta, quæ sancta credit & veneratur Ecclesia, ac nominatim veritatem corporis & sanguinis Domini sub panis vini que speciebus, integra fide amplexans: proximè indè Dominico die placidissimè animam efflauit, Pridie Nonas Octobris: Anno post Christum natum millesimo centesimo primo. Corpus eius fuit à fratribus non sine multis lachrymis in gaudio mixtis, in monasterio S. Stephani post summum altare honorificè tumulatum. Eius autem sanctissimam vitam mortemque preciosam multa sunt cõsecuta miracula: quæ ob eius præclara merita Christus edere dignatus est. Ad eius quidem sepulchrum fons viuus scaturijt: morbidis aded salutaris, vt cæci visum, surdi auditum, manci mutiliq; membrorum integritatem, leprosi munditiem, & varijs varijs oppressi languoribus perfectam sanitatem reciperent. Non debet autè cuiquam scrupulum mouere, si fons ille iam non cernatur ad bea-

ad beati viri sepulchrum. Fontes etenim miraculose ebullientes, non semper perpetui sunt: sed interdum propter hominum demerita, eiusmodi Dei beneficia subtrahuntur.

Ad eius verò sepulchrum huiusmodi Epitaphium appositum est.

*Primus in hac, Christi fundator ouilis, eremo,
Promerui fieri: qui tegor hoc lapide.*

*Bruno mihi nomen: genitrix Germania: meq;
Transtulit ad Calabros, grata quies nemoris.*

*Doctor eram: prece Christi: vir notus in orbe.
Desuper illud erat: gratia: non meritum.*

*Carnis vincla dies Octobris sexta resoluit:
Ossa manent tumulo: spiritus astra petit.*

MARTYRIVM SS. ET GLORIOSORUM Christi martyrum *Sergij & Bacchi*. Ex eo quod est per *Metaphrasten*.

TEMPORE Maximiani tyranni, cum uniuersus ferè orbis terræ profundis ignorantia tenebris immerfus nefario idolorum cultu insaniret, *Sergius & Bacchus*, ambo Romani, pietatis fideique in Christum operibus tanquam stellæ lucidissimæ, in regia fulgebant. Neque enim plebei erant, aut obscuro: sed *Sergius* scholæ Centiliorum primicerius, *Bacchus* secundicerius multum apud Maximianum Imperatorem & gratia & auctoritate pollebant. Sed à terrena cupiditate longè alieni, celestibus perpetuò rebus intenti, cum diuinis sedulo scripturas voluerent, clarissimisque virtutum exercitijs sceleratorum quorundam

*Epitaphium
B. Brunonis.*

7. Octob.

*Patria SS.
Sergij &
Bacchi.*